

**Quaestio medica ... an praecavendis sanandisque chronicis affectibus exercitatio? / [Pierre Agaésse].**

**Contributors**

Agaésse, Pierre, active 1750.  
Lalouette, Pierre, 1711-1792.  
Université de Paris.

**Publication/Creation**

[Parisiis] : [Quillau], [1751]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mgs6sj8k>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.





DEO OPTIMO MAX.  
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS  
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quarto mensis  
Martii, anno Domini M. DCC. LI.*

M. PETRO LALOUE TTE, Doctore  
Medico, Præsede.

*An præcavendis sanandisque chronicis affectibus Exercitatio ?*

I.



ITÆ humanæ decus & condimentum sanitas. Hanc  
votis omnes precibusque vocant ; servant pauci ; pessi-  
mâ vivendi ratione perdunt quamplurimi. Felix ni-  
mium prior ætas quæ naturæ & rationi obtempe-  
rans, vitam simplicem & sobriam agebat, nec inertî per-  
dita luxu, funestam edidicerat artem, gulâ & ignaviâ mortem, heu,



nimis properantem arcessendi : alimentis utebatur simplicissimis , innumera vegetantium genera , fructus in quâlibet tempestate diversos , folia , radices , semina , suâ sponte fidis cultoribus terra offerebat ; potum dabat lubricus amnis ; pauca ex animantibus in cibum tunc temporis advocabantur. Proprio lacte prolem alere mater non erubescibat ; sua naturæ jura servabantur. Laboris & temperantiæ merces fuit , vita longior , firmior sanitas , brevior feliciorque senectus. Hinc illa oris dignitas , membrorum agilitas , totius denique corporis præstantia. At ex quò suis obcæcati magis ac magis cupiditatibus mortales auream hanc vivendi normam deseruere ; crevit paulatim luxus , & invaluit. Tunc ab avitis institutis descessere , rationis leges abjicere , corpus sagine non nutrire ; omnes , animantium , vegetantiumque familias in mensas simul congerere. Nec defuit mutatæ conditionis fructus : ignota hactenus morborum cohors terris incubuit , ( a ) *semotique prius tarda necessitas lethi corripuit gradum.* Hinc prima mali labes ; quæ quidem fors exitiosa numquam altiores egit radices , quàm ubi laboris & exercitationis quotidianæ loco cessit ignavia. Hinc , immutatâ tamen naturâ , mutatum dixisses corpus humanum. Hinc , suam debilitatem , summamque vitæ brevitatem queruntur homines ; vix ullam sexuum differentiam solo aspectu reperias : mollem ac languentem pueritiam firma parùm & brevis sequitur adolescentia ; vix inceptam virilitatem excipit caduca & incommoda senectus : frequentiores recurrunt morbi acutissimi , apoplexia , pleuritis , febres malignæ. Nusquam fermè defunt affectus chronici , melancholici nempe , arthritici , hysterici , aliaque id genus , quibus præcavendis imò & sanandis simplicissimum tutissimumque auxilium promittit hygieine , quæ legitimo rerum non naturalium usu , animale regit œconomiam , mores temperat , mentis & corporis sanitatem conservat , sicque plurimas vel medendo vel præcavendo profligat infirmitates.

## I I.

Horatii Car-  
min. lib. 1 V.  
Od. 1 X.

**N** O N possidentem multa vocaveris rectè beatum , sed qui deorum muneribus sapienter uti , bonamque callet servare sanitatem. Sanum verò dixeris in quo vigent integræ functiones , id est facilè & constanter peraguntur : in eo summa corporis firmitas , sensuum alacritas , animi tranquillitas observantur ; qui quidem effectus sanitatis optimæ præsentiam certissimè prænuntiant. Quoniam verò repugnat effectus sine causâ , sed alter in alterius cognitionem nos debet perducere ; operæ pretium sit in causas sanitatis immediatas inquirere , ut remotæ postea faciliùs innotescant. Solidorum fluidorumque consortio regitur animalis œconomia , suæ itaque sunt utrique systemati conditiones ad sanitatem necessariò requisitæ. Ex parte so-



lidorum, requiritur certa quædam tensio, firmitas & elater; fibræ igitur, duræ vel molles, partesque ex iis compositæ, ossa nempe, cartilagine, ligamenta, nervi, membranæ, muscoli, ut suam quæque præstant in functionibus peragendis operam, sic certâ gaudent constitutione ad sanitatem necessariâ, quam quidem constitutionem perfectam, suisque absolutam numeris merito dixeris, si partes illæ tum simplices, tum organicæ, debitam habeant texturam integramque conformationem, si singula cujusque partis solidæ punctula fluidis præterlabentibus fuerint pervia. Ex parte fluidorum postulantur quantitas, qualitas, & motus. Quantitas nec excedens nec deficiens, quæ quidem varia est pro variâ ætatis, sexûs & temperamenti ratione. Optima est fluidorum qualitas si nec tenuiora sint nec spissiora, si adsit certa constituentium partium indoles & proportio, si nec involuta nimis, nec extricata nimis principia. Motus circulatorius lenis sit & æquabilis, ut singulæ solidorum partes æquabili distributione alluantur & nutriantur, vicissimque singulis solidorum punctis subjectæ humorum particulæ, tritæ continuò & verberatæ, perfectiùs elaborentur; motus intestinalis talis sit, ut inter justos expansionis terminos consistendo, balsamicamque sanguinis diathesim conservando, fluxilitatem ei debitam conciliet nativumque foveat calorem. Qualiscumque verò sit solidorum & fluidorum eucrasia, etsi leni & æquabili inter se motu regantur, nisi tamen assiduò renovarentur humores, nisi continua fieret recrementitiorum successio, excrementitiorum eliminatio, brevì repetitis collisionibus sese invicem destruerent, brevì sanguis suam amitteret balsamicam & homogineam indolem, perpetuâque & intestinâ partium agitatione, salina sulphureaque extricarentur principia, undè calor augetur intensiùs, expanderentur ultra modum humores, undè major & vix reparabilis solidorum abrasio, parciore vel ferè nulla reparatio. Renovari ergo debet corpus humanum. Hinc frustrâ ingeruntur alimenta, nisi quantum accessit tantumdem è corpore decedat, & ea decedant quæ noxia fuerant, quæ fuerant eliminanda. Ideò provida semper natura sui que operis attentè sollicita, secretionum & excretionum instituit systema, quarum beneficio, succi laudabiliores à deterioribus separantur, quarum beneficio, si ritè & secundùm naturam succedant, renovantur assiduò tum solida tum fluida, ritè & commodè cæteræ peraguntur functiones, perfecta que viget sanitas. Hanc verò benignam totius corporis constitutionem quid præstabit efficaciùs, quàm exercitatio seu moderata corporis agitatio, cujus quidem maxima vis est & energia ad promovendas secretiones & excretiones, renovandam humorum solidorumque diathesim, elegantem & concinnam organorum juvandam conformationem, robur denique firmum & stabile conciliandum?



**N** I H I L mirum priscos homines tantâ corporis & animi sanitate valuisse quos tantam exercendi corporis curam habuisse comperimus. Quam scilicet ad bellicam fortitudinem, laboris tolerantiam, corporisque conformationem, multum conferre longa docuit experientia, eandem ad tuendam sanitatem potissimum valere observaverant. Hâc arte Græcia tot præstantissimos bellatores, tot morum præceptores eximios, tot denique & tanta virtutis tum bellicæ, tum civilis genuit specimina; hâc arte tot inter Respublicas caput extulit Roma, quotquot unquam fuere virtutum & artium nobilis æmula. Hæ quippe laudandæ adeò gentes ignaviam, ut mentis & corporis, sic & regnorum corruptricem, procul exulare voluerunt; exercitationisque præcipuam rationem habentes, gymnasticam instituere disciplinam. (a) Hinc gymnasiis loca statui convenientia, ædificia etiam constructui iusserunt in quibus extra tempestatum injurias collocati cives, varia exercitationum genera possent celebrare. Hisce gymnasticis institutionibus præfecti fuere magistri, qui juvenes exerceri, certumque in ludis ordinem servari curarent. Tum verò ut præclaræ adeò disciplinæ fructus in universam rempublicam refunderetur, ad hæc exercitationes singulis diebus convenire jubebantur juvenes, ibi luctam, pugilatum, equitationem, saltationem, aliaque his similia edocebantur exercitia, de his certabant inter se, præmiaque victoribus proponebantur, quibus non parum juventutis ardor stimulabatur. (b) Sed & fœminæ suas habebant exercitationes. Dum itaque bellica fortitudo, laudis & gloriæ æmulatio civibus comparabantur, morum simul servabatur integritas, stabat tutissimum, corporis & ingenii præsidium, sanitas. Quid revera motu & agitatione corporis ad firmandam tuendamque sanitatem conferatur, probat variarum exercitationum cognitio: aliæ continuam musculorum actionem imperant, aliæ quiescentibus musculis externè agunt in corpus, nervos scilicet, membranas, musculos simul & æqualiter afficiunt. Inter ea corporis exercitia quæ à musculorum momento præcipuè dependent, vulgatiores & usitatiores sunt ambulatio, cursus, saltatio, pila, pilæ malleus, glans pennata, follis lusorius. Ambulatione quæ est motus pedum & crurum compositus, cum directâ trunci & capitis gestatione, flectuntur in se invicem & extenduntur pedum, crurum, femorum, articulationes & ligamenta; extremitatum inferiorum musculi alternis vicibus contrahuntur & relaxantur; directo corporis situ sanguis in inferiora determinatur, pendula pectoris & abdominis viscera leniter concutuntur, fæces in pelvim procliviùs impelluntur; blandâ aëris continuo renovati ventilatione singulæ corporis fibræ crebriùs oscillant; caput imprimis ab humoribus crassis & obruentibus expurgatur, fa-

(a) Mercurialis de arte gymnast. lib. 1. c. 6. p. 11. & seq.

(b) Lycurgus corpora virginum cursibus, luctationibus, jactibusque discorum & jaculorum exercuit, ut quemadmodum germinum radix validum in acris terris principium sumens meliùs germinat, ita & hæc partus robustè simul ac faciliè adversus dolores pugnarent, referente Plutarcho in vitâ Lycurgi, apud Mercurialis art. Gymnast. lib. 5. p. 160.



tilis tandem sequitur & æqualis circulatio, libera & moderata respiratio, legitima totius corporis perspiratio. Hinc illud exercitii genus quod pro arbitrio contrahi potest vel augeri, omni sexui, ætati & temperamento convenit. Non idem dicitur de cursu, saltatione, aliisque supra recensitis, quæ cum agitationes & concitatiores totidem sint ambulationis species, validioremque motum muscularem reposcant, ideò tantùm sanis & agilibus conducunt, sed ad firmandas puerorum juvenumque vires, si præsertim hisce sensim assuescant, si hisce constanter & moderatè indulgeant, maximam præ se ferunt utilitatem. debilissimis autem & iis quibus sua recusant officia laxiores musculi, alia substituuntur exercitia, quibus frequenter recreati, vires paulatim recuperant, sanitatique restituuntur. Hæc præstant beneficia puerorum agitatio in cunis, lectorum pensilium tam laudatus apud veteres Medicos usus (c), ut eum inter alias corporum exercitationes annumeraverint & ad leniendos ægrotantium dolores somnumque conciliandum efficacissimum putaverint. Illud idem præstat gestatio in equo, curru, lecticâ, navi, aliaque hujus generis exercitia, quibus tempestivè celebratis, salubriter concutiuntur corpora, lenique aëris verberatione stimulantur fibræ, sese invicem premunt, pulsantque viscera huc & illuc agitata, membranæ tandem, vasa, musculi suis obeundis motibus paulatim assuescunt. Quis foret dicendi finis si cantûs, altioris loquelæ, musicæ instrumentalis singulas hîc proprietates ad prædictos effectus conciliandos enumerare susciperem? Quæ quidem proprietates moderatæ exercitationis vim obtinent, ex diversâque organorum pneumaticorum agitatione, aëris externi & interni modificatione necessariò sequuntur. His & aliis exercitationibus roborantur corporis solida, continuisque & reciprocis motibus exercitata debitam adipiscuntur firmitatem & elasticitatem, urgentur validiùs fluida, celerius & æquabiliùs distribuuntur, frequentiùs per diversa transcolantur incernicula, ad tubulos capillares crebriùs appellunt, ultimas vasorum cutis penetrant divisiones, vel præcaventur, vel solvuntur obstructions; hinc ipsamet perfectiùs fluida elaborantur; deteriora eliminantur, retinentur & applicantur utiliora, servatur organorum permeabilitas, ritè peragitur motus circulatorius & intestinus. Hinc felicior partium accretio, nutritio, irroratio; hinc amœnus ille roseusque frontis honos, nativus totius corporis calor, vox denique, gestus, incessus, functionum & organorum prædicant integritatem.

(c) Primum Aesclepiades Medicus, quæ ætate Cr. Pompeii vixit lectulos excogitavit pensiles quorum molli facilitate jactatione aut alliceretur somnus, aut morbi ipsi magis extenuari possent referente C. Plinio ex M. Varro nis commentariis.

I V.

**L** A B O R E & exercitio indurari corpora testantur historiarum Scriptores, qui gentes, quò laboriosiores & exercitatiores, eò robustiores esse semper observaverunt: sed probat ulterius familiaris observatio. (a) Bini iisdem parentibus orti fratres vario utuntur vita

(a) Wanfuiten. morb. fibr. debil. & lax. Sect. 25. n. 2.



genere; dum unus sapientiæ studia excolens sedentariam degit vitam, alter venatu, equitatione, bellicis laboribus corpus firmat: quanta in corporis robore est differentia! Prior debilis puellæ instar labili fruitur valetudine, alter, firmato per labores corpore, herculeo ferè robore gaudet. (b) Validis cursibus quotidie assuetus, equus quiescat in stabulis, opimâ brevi pinguedine turget, sed simul longè debilior fiet solitis laboribus impar omnino. Rectè igitur Celsus, (c) *ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam reddit adolescentiam*. Sed in medium proferantur agrorum cultores, qui vitam duris & continuis exercent laboribus, cum urbanis & otiosis comparandi. Hi dum euchymis saginantur alimentis, debiles tamen & languidi, mille morborum generibus vexantur, dolores capitis, vertigines, icterum, arthritidem ferè semper experiuntur, supervenientibus acutis citò obruuntur, vitam breviorē, nebulosiorēque trahunt. Illi dum vilioribus utuntur cibus, rectè digerunt & assimilant, alacres sunt & vegeti, valido præstant corpore; ad labores vocat prima lux, præsto semper adsunt fames & sitis, quibus satisfaciunt aqua, fructus, olera, panis niger vixque fermentatus: diurno tandem labore fessos nox excipit, blando & quieto immerguntur somno, membra recreantur, vires instaurantur; nullis ferè, saltem chronicis, torquentur ægritudinibus, acutis citiùs faciliùsque liberantur; melancholicos & arthriticos vix apud eos reperies, vix norunt hystericas; ad tusses, peripneumonias, pleuritides, dysenterias, si quando propter subitas tempestatum mutationes & injurias incurrant, sola ferè sufficit eorum natura ut exercitior, sic fortior. Ex præmissis ergò patet exercitationis præstantia; sed pondus addit quorumdam è peritissimis Medicis autoritas, qui corporis agitationem rebellibus curandis affectibus necessariam existimant, ejusque singularem efficaciam multoties in praxi sese expertos fuisse testantur. (d) In morbis fibræ debilis & laxæ, augeri motum solidorum & fluidorum per frictiones, unctiones in equo, rhedâ, navi, ambulationes, cursus, exercitia postulat Boerhaavius. Frictio verò est genus exercitii quo alternè premuntur & relaxantur corporis partes, modò manu, modò pannis laneis, asperis, siccis vel humidis, aquâ vel oleo imbutis, undè ut diversis modis instituitur, sic diversos parit & contrarios effectus: hinc Hippocrates, (e) *frictio potest solvere, ligare, carne implere, minuere, dura ligare, mollia solvere, multa minuere, moderata densare*. Quantum autem valeant hæ frictiones in resolvendis obstructionibus, docent observationes medicæ. (f) Parotidem glandulam induratam plurimis illisque efficacissimis remediis frustra tentatam, resolutam vidit Autor celeberrimus, dum bis de die vapor aquæ tepidæ cum aceto exposita pannis laneis perfriicaretur per horam; idem in strumosis colli glandulis observatum est

(b) Ibid.

(c) Celsus, lib. 1. cap. 1. pag. 20.

(d) Boerhaavius, Aph. 23.

(e) Hippocrates de Medici Off. tom. 12. p. 24.

(f) Wansuiet. comment. in Aphor. Boerhaav. sect. 133. morb. obstruct. n. 3. p. 180.



sæpiùs. Hoc remedii genus tanti fecere veteres, ut illud in omnibus ferè affectibus chronicis exhiberent. Idem sit de cæteris exercitii speciebus, ambulatione, equitatione, vectatione, quarum, equitationis præsertim, in curandis morbis virtutem mirabiliter prædicat Sydenhamus: hanc quidem virtutem in colicis biliosis, podagrâ, phtisi, comprobata habuisse scribit, cujus hæc propria sunt verba de phtificis & tabidis; (g) » neque in levioribus tantum » malis crebrâ tussi & macie stipatis id remedium obtinuit, sed & in » tabe tantum non deploratâ, ubi nocturnis sudoribus etiam accesserat diarrhæa, quæ phtisi confectis mortis prænuntia solet esse, atque » adeò ut plurimum ultima rerum linea. Verbo dicam, quantumcumque exitialis phtisis & sit & audiat, utpotè quâ intereunt duo ferè » trientes eorum quos morbi chronici jugulant; hoc tamen sanctè » assero quod neque mercurius in lue venereâ, neque cortex peruvianus in intermittentibus efficaciores extent, quàm in phtisi curandâ » exercitium jam laudatum ». Mirum profectò, tantæ efficacix remedium, à peritissimis Medicis celebratum, quasi pro nihilo nunc haberi, cum tamen fidem adeò obtineant circulatorum & agyrtarum venena. (b) » Hoc toties dolemus in praxi, inquit Autor jam laudatus, dum languidâ chlorosi curatæ puellæ sedentariam vitam nimis » amantes, negligunt restauratum corporis robur sustinere corporis » exercitiis: post paucas enim septimanas æquè debiles, æquè pallidæ sunt ac antè, volunt ex ingestis nutriri & nihil agere, nunquam sic indè faciunt bonum sanguinem, sed iners & vappida reddit cacochymia ».

(g) Th. Sydenham. tom. 1. Dissert. epistol. pag. 275.

(b) Wansvict. comment. in Aph. Boerhaav. sect. 28. n. 2. p. 32.

V.

**H**OMO comedens sanus esse non potest, nisi etiam laboribus exerceatur; tibi enim & labores adversas inter se potestates, mutuò tamen ad sanitatem conferentes, habent; labores namque ea quæ adsunt consumere solent, cibi verò & potus vacuata replere. Optima quæque sunt alimenta si fame condiantur, si adsit vis vaforum & organorum mutans & applicans; hæ verò aderunt conditiones si corpus exerceatur. Nec dicas diversas esse hominum conditiones quarum diversitate fervantur societatis humanæ nexus & harmonia, alios scilicet vitæ exercitatæ & laboriosæ natos esse, alios sedentariæ; illos vi quâdam & necessitate labori addictos exerceri quidem & indurari, hos dum litteris vel artibus sedentariis operam dant, exercendo corpori fieri prorsus impares, undè vix unquam prædictis gaudent commodis. Quò etenim tranquillam & sedentariam magis vitam agunt homines, eò corporis agitatione magis indigent, ut excutiat stagnantium humorum segnities, circulatio promoveatur, congestiones & obstructions præcaveantur, fames accersatur, digerantur alimenta, fiat nu-

Hippocrateſ, de victus ratione sanorum lib. 1. cap. 2. Charter tom. 6. p. 448.



(a) Lib. 1.  
c. 2. p. 22.

tritio ; quâ de re Celsus , ( a ) quem interdium vel domestica vel civilia officia tenuerunt , huic tempus aliquod servandum curationi corporis est , prima autem ejus curatio est exercitatio . Hinc ut diversæ conditiones , sic diversa vivendi ratio præscribatur ; hinc ut exercitatis quies , sic quiescentibus convenit exercitatio . Quantus ergo est illorum error , qui maximâ diei parte sedentes , scribendo vel legendo , vel meditando intenti , in epulis lautioribus vel ludis sedentariis alteram partem consumunt , omnem aëris externi contactum fugientes , undè animum quidem recreantes , corpus malè perdunt , omniumque ferè morborum præda fiunt . Nulla ergo ætas , nulla conditio exercitatione careat . Quos gestiunt edere motus pueri , ludosque ludere , finant parentes ; imò torpentes aliquando suscitent . Hoc eligant præsertim vitæ genus adolescentes quod movendo & agitando corpori sit apertissimum ; si contrâ litterarum studio vel quâlibet aliâ ratione inducti , sedentariam vitam susceperint , frequenti gaudeant exercitio recreari . Sic potibus spirituosis , fermentatis , aliisque id genus irritamentis minùs indigebunt quæ urbanis & litteratis aliquandò concedimus , ut exercitationis defectus suppleatur ; ad vincendam scilicet anoréxiam , languentes fibras suscitandas , juvandam digestionem , promovendasque secretiones & excretiones . Sic viri fient & senes , pulchræ & robustæ proles parentes . Sed inter diversa corporis exercitia , ea potissimum eligantur quæ mentem simul delectant dum corpus movent , tunc enim curæ leniuntur , pellitur tristitia generis humani pernicies , mens exhilaratur , recreantur sensus , innumeri ferè motus in solidis & fluidis salubriter excitantur ab unione mentis & corporis necessariò dependentes , principiisque physiologicis explicandi . Ratum ergo certumque sit exercitatione firmari corpora , servari sanitatem & restitui , si necessariæ adhibeantur cautiones : harum verò præcipuæ sunt , 1º . ( b ) ut antè cibum vel post peractam digestionem corpus exerceatur : 2º . ut non nimium protrahantur exercitia , sed ( c ) ad initium usquè lenissimi sudoris & lassitudinis ; 3º . ut iis sensim assuefiant corpora ; 4º . ut quotidie , quantum fieri potest , repetantur ; 5º . ( d ) ut exoneratis priùs alvo & vesicâ ; ut tandem lex servetur , imprimis nunquam impunè frangenda , ne quid nimis .

(b) Galen.  
lib. de Cib.  
Bon. & Mal.  
succ.

(c) Boerhaav.  
instit. pag.  
306. n. 1044.

(d) Galenus,  
de sanitate  
tuend. lib. 2  
cap. 2.

*Ergò præcavendis sanandisque chronicis affectibus Exercitatio.*

Proponebat Parisiis PETRUS AGÁÉSSE, Parisinus, saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H.

1751, A SEXTA AD MERIDIEM.

---

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.